ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Vir nobilissime

Tua singulari humanitate fretus Testudinem meam reformandam mitto; quod profecto non ausus fuissem si istius rei peritus forem, vel alium quempiam gnarum nancisci potuissem. Scio occupationes tuas serias, quae vix permittunt, ut hisce minutijs vaces: sed humanitati tuae innixus, nihilominus ausus fui. Novi etiam quam liberaliter me nuper habuisti in penetralibus tuis, mensa hospitali, et accessu apud Dominam Ogel, ubi summis delicijs mire me explevisti. Fateor me tibi pluribus nominibus debere: sed utinam solvendo forem! In Rationem ergo Debiti omnia referam, et consignabo fidelissime: perpetuumque me reum debendi omni momento agnoscam. Tu vero quod factum a me voles impera. Quod si testudinem ad formam Teorbae ineptam existimes, aut ea fabrica indignam, sine scrupulo remitte, vel trade latori hujus. quidquid autem in fabrica illius expensum fuerit gratissimo animo artifici solvam, et tibi pro cura tua liberaliter impensa perpetuo gratias agam. Spero autem antequam a patria recedas te coram videre et alloqui, praecipue ijs de rebus, quarum inter nos postrema die sermo erat: et post serias meditationes de singulis mentem meam aperiam. Interea me tuo favore prosequere et tuere. Vale. Harlemi XIIII maj. CIƆ. IƆC. XLIII.

Tuus obligatiss. servus

Jo. Alb. Bannius
1643

Salutem D. Ogel, et vanderburgio nostro, cum occasio tulerit, dicere me gravabis rogo.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 31
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3253

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 31
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3253

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 31
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3253

Aen mynen heere
mijn heere
Constantyn Huygens
Ridder, heere tot
Zuylichem Raedt en
Secretaris van syn
Hoogheijd.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bannius) 31
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3253